# DE VARIA IURISPRUDENTIA CRIMINALI APUD DIVERSAS GENTES, EIUSQUE CAUSSIS

# ORATIO

*Habita in Regio-Caesareo Ticinensi Gymnasio*

VII. KALEND. DECEMBR. MDCCLXXV.

## AB ALOYSIO CREMANI

SENENSI

*EIUSDEM IURISPR. PROFESSORE.*



TICINI REGII,

Apud Marcum Antonium Porro, Ioseph Bianchi, & Socios Typographos in Via Nova.

SUPERIORUM FACULTATE.

NOBILISSIMO, ET AMPLISSIMO VIRO

CAROLO EX COMITIBUS
DE FIRMIAN

DOMINO IN CRONTMEZ, MEGGEL,
ET LEOPOLDSCRON

JOSEPHI II. CAESARIS
ET
MARIAE THERESIAE
AUGUSTAE

PP. FF. II.

A CUBICULO, ET A SANCTIORIBUS CONSILIIS, CURSUI PUBLICO IN ITALIA PRAEFECTO, MANTUAE, SABULONETTAE, ET BOZZOLI PRORECTORI, IN UNIVERSIS AUSTRIACAE LONGOBARDIAE PROVINCIIS PLENA CUM POTESTATE ADMINISTRO, SUPREMI REI LITERARIAE MAGISTRATUS PRAESIDI
&c. &c. &c.

ALOYSIUS CREMANI

DEDICO, CONSECROQUE



*NOn ego quidem praestantissimis Ticinensis*

*Athenaei Viris nuper adscriptus aliorum exemplo, vel consiliis in eam voluntatem adduci debebam, ut facerem, quod mihi non facere turpissimum fuisset. Scilicet cogitanti mihi de edenda in vulgus Oratione, quam heic primum habui, Tu illico,* VIR AMPLISSIME, *obversatus es, cuius in universam sane Insubriam, Remque omnem Literariam, & in hanc praesertim Academiam eximia*

pror-

*prorsus, ac singularia promerita celebrantur, ita ut lege quadam mihi indictum putaverim, ne ad alium, quam ad Te meas curas, cogitationesque converterem, Summum Virum, cuius Oratio haec mea & validissimo frueretur Patrocinio, & laeta Nomine frontem erigeret. Magna quidem, eaque multa sunt, & fuerunt* MARIAE THERESIAE, *Piae, Felicis, Augustae in*

*literas amoris, ſtudiique monumenta, id tamen longe maximum, quod Ticinensem Academiam inſtaurarit, inſtaurataeque Te primo loco praeeſſe voluerit, cuius solicitudine, & ſtudio iam factum eſt, ut in ea ſit Muſeum inſigni, maximaque rerum naturalium copia ditatum, aedes ad illas cuſtodiendas magnifice exſtructae, machinae ad phyſica experimenta capienda paratae,*

Bibliotheca optimis libris referta, disciplinarum denique omnium, quae vel ab antiquis temporibus domicilium in hoc ipso Athenaeo collocarunt, accuratius, quam antea, Chemiae praeterea, & Rei Herbariae studia heic omnibus pateant, floreant, amplificentur. Tantis, iisque utilissimis aucta Academia praesidiis tum pristinum illico est adepta splendorem, tum sublimiora

quo-

*quodammodo cogitans eam sibi comparare potuit dignitatem, & lucem, quam esse iam assequtam sapientes quique, ac Boni gratulantur. Haec scilicet obventura quisque augurabatur, & facile protendebat, qui secum animo paululum reputaret, Te esse Virum Optimum*, qui, *ut cum Plinio loquar*, colis studia, studiosos amas, foves, provehis, multorumque, qui aliqua componunt, por-

tus.

tus, sinus, praemium. *Quod si nulla quasi Tibi officia deberet Academia nostra, nec plurimis ipse Tuis, amplissimisque beneficiis fuissem auctus, solicitarer tamen Ingenio Tuo ad virtutes omnes egregie comparato, & ipso etiam argumenti genere. Explicare siquidem mihi in animo est caussas illas, ex quibus variae apud Gentes de criminibus, eorumque poenis leges ortum ducunt; cumque*



*caussas huiusmodi in diversis publici Regiminis formis invenire facile sit, unusquisque intelligit, me de iis esse dicturum, quibus Tu maxime delectaris. Ipse enim disciplinarum quidem omnium, publici tamen Iuris perfectam cognitionem, veluti peculiarem, Tibi merito vindicas, quippe qui, cum ad civilem Societatem, rerumque publicarum administrationem Te natum senseris, Lug-*

*duni Batavorum celeberrimo Iurisconsulto Vitrario Doctore usus in illius optimae facultatis ſtudio diligentem operam impendiſti. Excipe igitur,* VIR NOBILISSIME, *Orationem Tibi debitam, & in ſinum Tuum convolare geſtientem, eamque pro rei dignitate, & Maecenatis Amplitudine non satis elaboratam induſtria, aut perfectam ingenio benigne, comiterque amplectere, exemplo quodammodo*

*eorum, qui iam pridem mortales Viros bene de Republica, ac de omni Posteritate meritos in more habuit antiquitas inter Deorum numerum ponere, quosque solitos fuisse inquit laudatus Plinius* gratiorem existimare, qui delubris eorum puram, castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit. *Profecto Te, Nomenque Tuum, tamquam veterum Heroum nomina, immortalita-*

*ti iam consecratum fuisse gratulabundi suspicimus a scriptis hominum praestantissimorum, quorum laudibus aequi sane, rectique ratio postulabat, ut voces meas, sensusque, atque hanc lucubratiunculam adiungerem, ut & ipse tantam Virtutem Tui, quantum possem agnovisse, & laudasse, Auspiciaque Tua, ut decebat, maximi fecisse viderer. Sed eruntne aeterna, quae scripsi? Non erunt*

*sane: ea idcirco scripsi, ut essent futura devoti mei, obsequentisque animi adversus Te certissima monumenta. Vale,* VIR AMPLISSIME; *diu Reipublicae bono, & literarum feliciter Vive. Dabam Ticini Kalen. April. A. R. S. MDCCLXXVI.*





UM praestantissimae disciplinae omnes ex illa, qua sordebant, colluvione Sapientum Virorum vigili cura, & labore in pulcherrimam lucem, ac dignitatem fuerint restitutae, universique iuris scientia a rabularum tricis, & quisquiliis vindicata niteat iam prae ceteris, & quodammodo efflorescat, mirabitur fortasse quispiam me initio acerbissimum animi dolorem effundere, & a querela superiorum temporum munus meum auspicari. At fuit profecto, fuit tempus illud, cum universalis Iurisprudentiae Pars, quae in delictis, & poenis definiendis versatur, Romani Iuris splendore destituta tot a Barbaris Gentibus latarum legum sordibus inquinata erat, tamque incertis nitebatur principiis, ut non modo ad societatis tutelam, hominumque usum accomodata non esset, sed in humani generis perniciem inventa potius videretur. Ne-

que

que enim calamitosa illa aetate leges dirigebantur, vel ad viam criminibus praecludendam, reparandumque laesis damnum, ac futurae iniuriae metum avertendum, vel ad rei emendationem consequendam, aliisque exemplum suppeditandum; sed qui Reipublicae praeerant in delictis, & poenis constituendis quaevis praeter tutam, beatamque omnium vitam sibi proponebant. Privata cuiusque studia, Iudicum arbitria, eorumque effrenata habendi libido nostram penitus regere videbantur Iurisprudentiam: rerum autem omnium divinarum, humanarumque inscitia, & anilis quaedam, ac barbara superstitio tam absurdas, atque ancipites in eam invexerant consuetudines, ut iam nil firmum, & stabile esset, omnia casu administrarentur, iustitiaeque, & veritatis solida, & expressa effigies numquam adpareret, relictis tantummodo vanis illius umbris, & imaginibus, quibus homines illuderentur. Hinc mirari non subit, si Philosophi nonnulli tot superiorum aetatum errores secum reputantes, praesentium vero temporum quodammodo obliti, quibus luculentiora conspicimus tum Sapientiae, tum humanitatis documenta, Societatem veluti malorum omnium caussam, & originem descripserint, ut ad primum illum sta-

tum homines revocarent, quo aliter ſane vivebant naſcentis Mundi Patres, cum

*Frigida parvas*
*Praeberet ſpelunca domos, ignemque, laremque,*
*Et pecus, & dominos communis clauderet umbra.*


Quem enim fugit, quantopere praeteritis ſaeculis civilia delicta, poenaeque in immenſum excreverint, quin tamen cautum, proviſumque eſſet, ut ea in homines bona redundarent, & commoda, quibus adſequendis Societas, & Imperium comparatum fuit? Non eſſet profecto, cur haec omnia pluribus perſequerer Vobis praeſentibus, Aud. Ornatiſs., quos plena elegantioris doctrinae, ac verae, ſolidaeque eruditionis cognitio commendat: at cum ſummo, praeſtantiſſimoque MARIAE THERESIAE, Auguſtiſſimae Principis beneficio, mihi nullius famae homini in hunc ſapientiſſimorum Patrum coetum cooptato, iuſſoque Criminalem Iuriſprudentiam ex hoc ampliſſimo loco profiteri, iam aliquod argumenti genus pertractandi onus impoſitum ſit, quo dicendis in poſterum facilior aditus aperiatur, dabitis ſane veniam, ſi toto animo in cauſſas illas explicandas incumbam, ex quibus tum ſuperiorum temporum calamitas, tum variae quorumdam Populorum de criminibus utiliores leges veluti



ex uberrimo fonte profluxerunt. Scilicet eò tendit Oratio nostra, ut tum ex generali Imperii Civilis natura, tum ex variis Reipublicae administrandae rationibus, ac peculiari ipsarum indole, veternmque praesertim Atheniensium, & Romanorum historia manifestum fiat, Criminalem Iurisprudentiam variam esse pro varia publici regiminis forma, eamque optimam existimandam, cum eidem formae recte iam constitutae penitus respondere videtur: quod dum praestare conabor, Auditores, quaeso timide dicenti patientes, & aequas aures praebeatis.

Ac ne incerta diu vagetur Oratio, quaedam sunt a natura data principia ad discrimen constituendum inter iustum, & iniustum, licitum, & illicitum, verum, & falsum, quae eamdem ubique vim obtinere, auctoritateque Senatus, vel Populi mutari non posse adeo certum est, ut ab iis paululum recedere apud omnes Gentes iniquum, & turpe sit. Quaedam nostris animis insunt irritamenta vitiorum, quibus excitati homines ut plurimum ita feruntur ad infringendas, violandasque leges, vincula, & frena humanarum cupiditatum, ut iam luxuriam, fraudes, ebrietatem, machinationes, & id genus alia turpissima peccata Iliacos intra muros, atque extra patrari


vi-



videas, de quibus acute ſe neſcire dixit Imperator Tiberius, *an ſatius ſit legibus eadem non attingere, quam fruſtra tentatis remediis patefacere, quibus flagitiis impares ſumus*. Quaedam denique recenſentur communis omnium felicitatis, & ſecuritatis leges, quae adeo implicitae ſunt cum principio illo, quo Cives in qualibet Republica ad agendum conſtanter impelli debent, ut eaedem mutari non poſſint, quin eodem labefactata motu Reſpublica ipſa concidat omnino.

His vero omnibus praetermiſſis, quae cuiuſcumque Civitatis communia ſunt, ad eius generis leges contento ſtudio, curſuque veniendum eſt, quae cum peculiares ſingularum Gentium uſus, & conditiones reſpiciant, nec ſemper, nec ubique eadem vi gaudent, ſed cum tempore, & moribus quodammodo commutantur, quaſque proinde eatenus ſervandas eſſe intelligimus, quatenus publica auctoritate conſtitutae ſunt, tunc enim iis non obtemperare idem eſt, ac in civile crimen incidere, poenaeque obnoxium fieri.

Ita ſane a natura comparati ſumus, ut ad felicitatem irreſiſtibili quodam impetu, praecipitique motu feramur; at cum vultu, ac ſpecie felicitas apud omnes non exprimatur eadem, factum inde eſt, ut non modo civilem Societatem inirent homines, ſed




plures etiam, ac diversas constituerent publici regiminis formas, singularum Gentium indoli, & moribus, variisque loci conditionibus accommodatas, quae diversas leges exposcunt, eas nimirum, quae & actiones civibus praescribant, quae cum publica salute nexum aliquem habent, & poenarum comminatione illas inhibeant, quae peculiari illi felicitati, ad quam Gens quaelibet nata videtur, quamque Socii in constituenda civitate, veluti finem, sibi proposuerunt, officere aliquo modo posse deprehenduntur. Actiones vero, quae ad huiusmodi finem non pertinent, licet malae fortasse sint, civilium legum materiam esse absurdum foret, sed Deo puniendae relinqui debent, qui, ut Grotius inquit, *& ad eas noscendas est sapientissimus, & ad expendendas aequissimus, & ad vindicandas potentissimus*.

Neque enim existimandum est homines, dum naturali libertate, & aequalitate relicta sese civili imperio subiecerunt, omnem voluisse penitus libertatis usum proiicere, qua nihil praestantius homini a natura concessum videtur, sed illud potius in animo habuisse constat, ut naturalem illam libertatem cum hac civili commutarent, cuius in eo sita vis est, ut iura cuiusque tum naturalia, tum rite conquisita ab alie-

aliena vi, & usurpatione, legum, & Imperii auctoritate, defenderent; actiones vero illae in potestate civium manerent, quae communi Reipublicae bono non repugnant.

Quamobrem cum bonum huiusmodi non eodem semper modo, sed ut variat hominum indoles, locique, ac temporum conditiones immutantur, aestimari oporteat, profecto actiones olim civitatis fini apprime consentaneae, & publica lege praescriptae, nova rerum facie introducta, cum iam ad Societatem nec directe, nec indirecte spectent, civilium legum laqueis innodatae amplius esse non debent; illae vero, quae civium arbitrio sapienter relictae erant, opportunis poenis, ac suppliciis coerceantur, necesse est, cum e re civitatis esse incipiat, ut ab iis cives abstineant. Quo fit, ut ultricis Iustitiae regulae non modo apud varias Gentes, sed in una etiam, eademque Republica identidem dissimiles adpareant, sine ulla tamen eorum indignatione, qui aequi sunt rerum aestimatores, apud quos ea duntaxat poenalium legum mutatio, atque inversio improbatur, ac reiicitur, quae ab effrenato eorum Principum impetu, ac libidine proficiscitur, quibus stat pro ratione voluntas; quo quidem imperii genere nihil naturae huma-

nae



nae magis adversum, nihil exitialius excogitari potest.

Quae iam floriferis velut apes in saltibus delibavimus ex generali civilis imperii natura deprompta fusius confirmari possent exemplo, & auctoritate veterum Populorum, qui prae ceteris floruerunt, Atheniensis praesertim, ac Romani, quibus & Germanos addere possumus, apud quos de criminibus leges non semper easdem extitisse, sed pro temporum, & morum varietate, pro diverso regiminis statu plures habuisse vicissitudines, & sub Carolo V. tandem eam, quae nunc in Germania celebratur, accepisse formam Boehmerus, aliique eruditissimi Viri observarunt. At in hisce temporis angustiis haec veluti minora relinquere quodammodo nos hortantur, orationemque nostram ad se rapere videntur ea, quae propria sunt Rerumpublicarum, in quibus cuncta definiuntur vel integrae multitudinis, vel paucorum, vel unius etiam voluntate, quae quidem sunt publici regiminis formae omnium simplicissimae, ad quas caeterae Reipublicae administrandae rationes commode referri possunt, quae *mixtae* adpellantur, quaeque tot occurrere solent, quot Imperio delato expressas conditiones apponi Populus iubet.

Bene praecipiunt, qui duo distinguenda esse in-

quiunt

quiunt in qualibet civitate; unum, quod ad *naturam* illius refertur, qua efficitur, ut eadem ad hanc potius, quam illam Reipublicae formam spectare censeatur; alterum, quod veluti ***principium*** est, quo Cives ad agendum constanter impelluntur, ac moventur. Hos autem duos tamquam uberrimos esse fontes, ex quibus in Civitatem quaelibet scripta iura proficiscuntur, ii tantum inficiari poterunt, quibus nec rerum ordo, nec civilis societatis indoles, nec populorum leges, historiaeque satis perspectae sunt. Ad me quod adtinet, finite quaeso, ut omissis aliis paulo adcuratius eas leges expendam, quibus fraudes, & scelera coercentur, quas optimas, perfectasque tunc dixerim, cum bene iam constitutae Reipublicae administrandae rationi penitus respondere videntur.


Populare itaque Regimen sua delicta, & iudicia, suasque poenas, in quibus omnibus definiendis tota versatur nostra Iurisprudentia, sic peculiaria, ac sibi tantum propria habet, ut cum aliis Civitatibus communia nullo pacto dici possint. Atque ut a delictis exordiamur, cum ea sit huiusmodi regiminis natura, ut singuli Cives tum subditi, tum Imperantis vicem gerant, publicisque consiliis, aut Comitiis intersint, sine quibus communis omnium voluntas, seu

leges



leges haberi nequeunt, manifeste patet in crimen laesae Maiestatis incidere, qui cum peregrinus sit, vel alia de caussa prohibitus, temere se Comitiis ad ferenda suffragia immiscet; metuendum siquidem, ne peregrini aliis moribus imbuti rem perniciosissimam in Civitatem inducturi sint, hoc est novam Reipublicae constitutionem, ita ut improbandae non sint leges, quibus apud nonnullas Gentes peregrinos non modo comitiorum iure, sed & Urbe ipsa exclusos fuisse accepimus.

Cum vero in Civitate, de qua loquimur, cuilibet e Populo Reipublicae administratio commissa sit, ecquis animi, & corporis viribus potens a muneribus publicis obeundis sine criminis nota sese excusabit? Ego quidem in ea sum sententia, ut existimem, in huiusmodi Republica civem amplioribus antea dignitatibus egregie perfunctum, ad minora deinde officia exercenda sine fraude compelli posse, quotiescumque id communis omnium utilitas postulare videatur. Aequum namque est, ut praeclare apud Livium dixisse Spurium illum Ligustinum legimus, *omnia honesta loca ducere, quibus Rempublicam defensuri sumus*. Quae tamen munera a summa Potestate decernenda, non vero privata gratia, vel divitiarum copia aucupanda:



Ambitus namque, foedissima illa Reipublicae pestis, enorme crimen est, severioribus poenis coercendum.

Haec cum apprime intelligerent Athenienses eo praesertim tempore, quo Rempublicam intestinis afflictam discordiis, & paucorum sub dominatu gementem, novis legibus, atque institutis a divino Solone erectam, & ad democratici Regiminis formam revocatam acceperunt, in eo toti fuere, ne aliis, quam solis civibus Atheniensibus ius esset concionis instituendae, cognoscendique de iis omnibus tum legibus, tum decretis, quae de quotidianis rerum eventis scribere oportebat.

Nil mirum igitur, si poena capitis esset teste Libanio adversus eos, qui in exercitu, vel alio loco concioni se temere immiscuissent; si ante Iudicium in carcere detinerentur, post vero victi in iudicio venum irent, qui civitatis ius sibi vindicassent, cum Athenienses non essent; si mille drachmarum poena auctore Demosthene mulctaretur, quicumque civis Atheniensis peregrinam duceret: si denique gravissimis propositis poenis, vetitum peregrinis esset Athenis aliquid vendere, aut artem exercere, aut civem Atheniensem ducere, aut nubere Civi.


Quid vero referam Romanos libera Republica de

Civitatis iure cum aliis non communicando quam maxime solicitos fuisse? Quid peregrinos apud eos non modo usucapionis iure, sed ipsa Urbe uti prohibitos & aliquando etiam hac de caussa exterminatos? Quid nuptias, quas veluti iustas solos inter cives consistere posse censebant Romani? Quid iras multas, & invidias adversus Antonium excitatas ob celebratas cum Cleopatra nuptias?

Ad publica autem munera quod adtinet, divinus Plato crimini vertit Civi, qui omittit sibi delatum munus obire, voluitque mulctam ab eo esse luendam: Lex vero erat Athenis, ne cui liceret munus sibi mandatum recusare, & eiurare apud alios, quam apud eos, qui illud iniunxerant, multisque rationibus a Solone coacti sunt ii omnes, qui ad concionem vel plane non, vel aegre venirent.

At quid senserint de hac re Romani vix, ac ne vix quidem primoribus labris delibandum esse videtur; omnibus namque adeo manifesta est de excusationibus doctrina, ut in re minime dubia uti iam non oporteat exemplis non necessariis. Illud tamen sileri non patiar principes illos nascentis Romanae Reipublicae Patres tot Consulatibus anteactis, tot honorum saepe gestorum, saepius meritorum gloria conspicuos ad mi-

no-




nora deinde officia exercenda pro Reipublicae bono non dicam vocatos, ſed obſtrictos aliquando fuiſſe.

Si quis tamen clam corruptis aliquo pacto ſuffragiis, aut conducta turba honores ambiiſſet, is & a Graecis, & a Romanis acerbioribus poenis mulctabatur. Aperte nos docet Demoſthenes Lege ambitus capitis poenam propoſitam illis fuiſſe, qui largitione populum, Iudicesve, aut Magiſtratus corrupiſſe, aut corrumpere voluiſſe convicti forent, quod ex aliis etiam collegerunt Carolus Sigonius, Ioannes Meurſius, & Samuel Petitus.

Quod ſi quis ad Romanam hiſtoriam animum convertat, occurret illico Spurius Caſſius, de quo ſupplicium ſumptum propter conſilia inita de Regno; occurret Spurius Maelius ab Ahala Servilio impune interfectus, quod ſibi ad conſulatum viam aperuiſſet largitionibus ſponte populo factis in ſumma annonae caritate: occurrent Leges Poetelia, Baebia AEmilia, Maria, Tullia, Pompeia, aliaeque, quae de ambitu Romae latae fuerunt, quaſque diligenter collegit laudatus Sigonius. Poſtrema Iulia fuit; ſeu a C. Iulio Caeſare, ſeu ab Octaviano Auguſto lata, utrumque enim de ambitu tuliſſe ex hiſtoria diſcimus. Sequentibus vero temporibus, cum comitiorum poteſtas a

 Po-



pulo in Senatum, a Senatu in Principem translata esset, quod nonnulli sub Tiberio, alii sub Traiano factum contendunt, haec omnia in desuetudinem abierunt, coeptumque est, ut refert Modestinus Iurisconsultus, impune pretio tentare suffragia eorum, qui circa latus Principis degebant, & si quid promissum esset, condictio certi ex suffragio eo tempore data est.

Ceterum ut ambitus crimini, atque uno, eodemque tempore cuilibet Reipublicae mutationi occurrerent Graeci, & Romani, apud hos turpe erat, non modo regis, sed & Tarquinii nomen sibi assumere, Collatinumque Tarquinium Consulem, nominis odio, abdicare se Magistratu, atque esulare iussum legimus: penes Graecos autem Clisthenes, strenuus ille popularis Reipublicae vindex, adversus divitum insolentiam id cautum voluit, ut in decennale mitterentur exilium, quorum opes, & potentia plebi erant invisae, atque suspectae; Solon vero providis legibus constituit, ut ultimo supplicio afficeretur quisquis in seditione non alterutrius partis fuisset; volebat namque sapientissimus hic Legumlator, ut Viri omnes boni partes illas sequerentur, quae sunt Reipublicae.

Deinde vero collegia omnia, quae in popularibus praesertim Rebuspublicis pertimescenda videntur, cum

a plurimis factionibus titulo Collegii novi eas ad ultimum exitium perductas non raro fuiſſe hiſtoriae doceant, initio permiſſa Romae non fuerunt, niſi iis, teſte Livio, legitimus, populique conſenſu probatus Rector praeeſſet, mox penitus ſublata, donec Clodius ea iterum reſtitueret, & nova etiam proponeret. Graeci vero, ut ex Athenaeo diſcimus, vel ipſum convivarum numerum a lege definitum habuerunt; quod ut fidelius obſervaretur, primo Gynaeconomis id munus iniunctum, ut adirent convivantium domos, convivarumque numerum inirent; deinde coqui omnes, quos raro inter privata ſervitia, ſed ad nuptias, aut alias ſolennes epulas conductos fuiſſe ex laudato Ahenaeo conſtat, ad Gynaeconomos convivarum nomina deferre poenae metu obſtricti fuerunt.

Haec ex natura, & conſtitutione popularis Reipublicae proficiſci unuſquiſque intelligit: age vero, affer nunc ea, quae ex principio, quo Cives in huiuſmodi ſtatu ad agendum perpetuo impelli debent, in noſtram Iuriſprudentiam profluunt. Profecto cum antequam leges conſtituantur, integer Populus certo loco, & tempore conveniat neceſſe ſit, in populari Republica omnia lente procedunt, ac difficile admodum eſt ad prompta illa remedia devenire, minuendis, ex-

tir-

tirpandisque malis accommodata, quibus vel inimicarum Gentium vires, vel privatorum Civium cupiditates, avaritia, luxuria, ambitio Rempublicam divexare continuo possunt. Quia insuper, qui condendis legibus intersunt, legibus ipsis subiiciuntur, timendum sane est, ne quis ad eas tantummodo leges proponendas accedat, quas non publico bono, sed privatis tantum cupiditatibus inservire putaverit. Hinc necesse est, ut quidquid Cives agunt, id faciant tum solidae Virtutis amore, qua privatis commodis publicum bonum praeferendum esse doceantur, tum etiam aequalitatis conservandae desiderio inflammati, eo tantum inaequalitatis genere excepto, quae ab utiliori, quam quis Reipublicae operam locavit, ortum ducit.

Sapienter quidem aiebat Cicero, nisi a tenera aetate ad hoc docti, institutique simus a Parentibus, & maioribus, quibus nos leges obnoxios voluerunt, vaticinari, atque insanire existimabimus, qui dicunt Reipublicae esse consulendum, officii rationem in omni vita, non commodi esse ducendam, adeunda pro patria pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendam. Quis igitur non videt populari regimini apprime convenire leges, quibus filios patriae potestati subiicimus, poenaeque minitamus Parentibus illis, qui

po-

potestatem ipsam in Reipublicae perniciem vertunt, quique puerorum animis civilis Virtutis semina mature inicere negligunt? Quis inficiabitur in Populari Republica sapientissimorum hominum ordinem, sive Senatum, necessario esse instituendum, ad quem honeste acta superior aetas, rigida virtus, & perfecta morum integritas tantummodo viam aperiant; quem illustre veluti exemplum intueantur Cives, ut quod ipsi imitando consectari debent, capiant, vitent autem, quod foedum incoeptu, foedum exitu est; quem denique in id totum esse volumus, ut maiorum instituta serventur, utque ad ea revocentur cives, quoties ab his vel minimum recedunt, cum in populari Republica plena periculi res sit quaelibet morum, legumque mutatio? Quis in huiusmodi Civitate leges ita scribendas esse non intelligit, quae quorumcumque possessiones certis quibusdam limitibus definiant; quae privatam luxuriam, & mollem cultum severioribus poenis coerceant; quae denique civili crimini vertant ea omnia, quae minus recte, ac decore vel facta, vel excogitata esse videntur? Haec si rite constituantur civitatem habebimus multitudinis voluntate gubernatam, stabilem, florentemque, virtute, & aequalitate, atque etiam frugalitate suo veluti fundamento innixam.

Te-

Testes Atheniensium, & Romanorum Respublicae, quas ad summum gloriae, & imperii fastigium pervenisse constat, quod populare regimen illarum Cives amplexi, in id curam omnem, omnemque cogitationem contulerunt, ut communi suffragio de delictis, ac poenis tales scriberentur leges, quales regiminis ipsius principium, quod hactenus exposuimus, postulare videbatur. Lex erat apud Athenienses, qua filii cogebantur tum obedientiam, tum alimenta praestare Parentibus illis, qui vel honestatis leges in iis suscipiendis, vel artem aliquam filios ipsos docere non neglexerant. Romanae vero Reipublicae temporibus impune erat patri ultimo supplicio, ac noxae tradere liberos ex iustis nuptiis quaesitos, dummodo quis nec patria huiusmodi potestate minus recte uteretur, nec filias prostitueret, nec in iis bene educandis negligentior foret; quae quidem omnia aliter sese habuerunt, postquam nova regiminis forma sub Augustis Romae est introducta, quibus imperantibus poenae constitutae adversus Patres, qui vel filios severius castigarent, vel eos adhuc e matre rubentes exponerent praeter urgentem extremam egestatem.

Ut vero civibus ad novos amplectendos mores aditus intercluderetur, non modo apud Graecos, & Ro-

Romanos ſtatutum erat, ne magiſtratus movere quid auderent e publicis, ac veteribus inſtitutis, verum etiam maximo ſemper in honore habita eſt veneranda ſenectus, veluti temporis acti laudatrix, veterumque morum vindex, poeniſque mulctati fuerunt, qui vel ſenes primos in Senatu ſententiam dicere prohibuiſſent, vel conviciis, aut iniuriis eos affeciſſent. Ex ſenibus praeterea clariſſimum ordinem, quem Graeci Areopagum, Romani vero Senatum dixerunt, conflatum fuiſſe, huncque ordinem tamquam alteram Reipublicae anchoram fuiſſe habitum, certum, exploratumque eſt apud omnes. At nonne ex Plutarcho colligimus praeter alia multa id praeſertim de Areopagitis conſtituiſſe Solonem, ut morte plecteretur, ſi inter eos quis vel ebrius, vel paulo negligentior deprehenſus eſſet?

Mitto cives aliquando morte mulctatos, vel quia otii convicti fuerant, vel quia apud Provinciarum Praeſides, unde viverent quotannis demonſtrare neglexerant. Mitto ingratos acerbiori poena affectos, quod aliis bene de ſe meritis gratiam non referrent. Mitto lenones ultimo ſupplicio punitos, adulteramque non modo prohibitam ingredi fana publicis ſumptibus, & expenſis exſtructa, ſed & ornatam prodire in publicum, & ſi ſecus feciſſet, cuivis foeminae illius ſto-

lam, & vestes discindere, mundum auferre, eamque pulsare permissum. Immo honestae foeminae inornatius in publicum prodeuntes mille mulctabantur drachmis ex lege Philippidis, & ante Philippidem caverat Solon, ne qua foras proficiscens foemina tres amplius stolas haberet, neque plus cibi, aut potus secum afferret, quam obolo emptum, quod si de nocte iter facere necesse esset, curru eam vehi ad lucernam iussit Solon. Capitales denique poenas mitto quas ante Solonis aetatem Draco omnibus, qui deliquerint, ignavis, furibus, homicidis irrogavit, cuius rei caussam cum ab eo quidam quaesiisset, respondisse ferunt, parvas quidem culpas ea poena dignas existimasse, habita scilicet ratione, ut ego arbitror, ad damnum, quod in popularem Rempublicam etiam minima negligentia inducere potest, magnis vero, quam severiorem constituere, non habuisse.

Quorsum vero haec, & id genus alia, quae silentio praeterire nos admonet amica brevitas, nisi ut diu, multumque staret Respublica, quae cum multitudinis voluntate regeretur, optimis moribus tantummodo, veluti suo fundamento, nitebatur? Adeo verum est, quod initio proposueram, non modo varias esse de criminibus leges pro vario regiminis statu, sed


etiam



etiam tunc optimas, perfectasque esse dicendas, cum ex eiusdem regiminis natura, & principio, veluti rivulum ex fonte eas derivamus.

Quae hactenus de Athenienfibus expofuimus, ad Romanos etiam pertinere Carolus Sigonius, Pandulphus Prateius, Ioannes Meurfius, Samuel Petitus, Defiderius Heraldus, aliique doctiffimi Viri aperte demonftrant. Dum itaque ab his recenfendis libenter fuperfedeo, ne in longum nimis protrahatur Oratio, iam mihi ante oculos obverfantur fapientiffimae leges, quae apud Athenienfes, ac Romanos viguerunt ad eam inter cives aequalitatem fervandam, fovendamque, quae tum ex aequali rerum, & bonorum diftributione nafcitur, tum in eo pofita eft, ut non modo leges cum omnibus una, eademque voce loquantur, verum etiam, ut qui maioribus opibus, & commodis fruitur, ad maiora quoque officia Reipublicae praeftanda compellatur.

Lycurgus, ut primi generis aequalitate fua floreret Refpublica, aequale terrae fpatium, aequalia iura fingulis provido confilio tribuit. Athenis vero, ne quis opulentior fieret, lege vetitum erat duas habere haereditates, ita ut ex huiufmodi lege ratio forraffe derivanda fit, cur in ea civitate conftanter pu-



niretur, qui Sororem ex eodem tantum utero natam in uxorem duceret, non qui cum Sorore germana matrimonium iniret, ut exemplum Cimonis Summi Athenienſium Viri ſuadet. Ac ne civibus plus aequo aditus ad lucrum pateret, quamvis otii convicti Athenis poena afficerentur, attamen duas ſimul artes exercere quiſque prohibebatur, ut refert Demoſthenes in Timocratea.

Romulus vero eandem, quam Lycurgus terrae diſtributionem inſtituit, variaeque ſequentibus temporibus Romae latae ſunt leges de numero, & quantitate poſſeſſionum, inter quas digna eſt, quae recenſeatur, Lex Licinia, qua cautum, ne quis ultra quinquaginta agri iugera, neque pecoris maioris ultra centum, minoris ultra quingenta capita haberet. Quo quidem cum Paulo Manutio referendae etiam leges, quibus definiti ſunt limites, quos ultra conſiſtere non poterant dotes, donationes, legata, teſtamenta, quibuſque circumſcripti ſumptus, qui ad victum, & cultum in dies ſingulos inſtituendum neceſſarii ſunt; quae leges *ſumptuariae* fuerunt adpellatae.

Nil vero dicam de altera aequalitatis ſpecie, quam *Iuris* nuncupaverim, quamque ſemper ab aliorum conatibus vindicare ſummopere adlaborarunt Athenienſes,

&

& Romani. Neminem ſcilicet latere arbitror, apud Atheniensſes claſſem fuiſſe trecentorum Virorum, quorum erat maxima quaeque munia obire, inter quos ſi quis eſſet, qui ſumptus tolerare non poſſet, e claſſe illi excedere non permittebatur, niſi alio quodam extra eam ditiore indicato, qui ſi negaret ſe ditiorem eſſe, ad permutandas cum eo, qui indicavit, facultates veluti poenae modo cogebatur. Romae vero, qui cenſum ampliorem habebant, proprio equo mereri, atque utilem hoc pacto praeſtare operam Reipublicae, praemiis primum alliciebantur, poenis deinde ad id obſtricti erant. Hoc pacto inter Athenienſes, Romanoſque Cives ea quiſque Reipublicae munera obibat, quibus obeundis par eſſe videbatur, habita ratione bonorum fortunae, & loci, quem in civitate obtineret.

De delictis, quae referuntur ad populare regimen, dictum eſt ſatis; venio nunc ad Iudicia, quae in Republica de qua loquimur, populi adeo propria eſſe debent, ut ſapienter Ariſtoteles monuerit, nullum eſſe populare regimen, niſi omnes de omnibus, aut certe de plurimis, ac de maximis cauſſis iudicent. Cives autem a legum praeſcripto diſcedentes aut Reipublicae, aut privato alicui iniuriam, vel damnum adferunt. Nos de iis tantummodo Iudiciis pauca ſubiiciemus, quibus

vin-

vindicantur ea, quae Reipublicae statum aliquo pacto tangere videntur.

Ac primo expendenda sese offerunt Iudicia publica, quae Civitati unius imperio subiectae fere penitus ignota sunt, propterea quod omnia quae summi Imperii sunt, Princeps sibi vindicat, aut aliis pro lubitu suo nomine exercenda committit, quaeque in ea civitate constituantur oportet, quae multitudinis voluntate regitur, & in qua ad omnes spectare de rebus publicis, & privatis iudicium ex eo constat, quod singulis commissa est Reipublicae administratio, omniumque interest improborum insolentiam detegere, illamque habere depressam. Nemo itaque a criminum adcusatione, a qua iudicia exordium summnt, reiici debet, exemplo non modo veterum Romanorum, sed Atheniensium quoque, apud quos peracta accusatione ex Solonis praescripto vel Cives omnes iudicabant, vel qui a populo Magistratus lecti erant, ut de rebus capitalibus cognoscerent.

Plures occurunt huiusmodi Magistratus, inter quos tamen prae ceteris floret Areopagitarum ordo ab Aristide, & Cicerone impense laudatus; at cum populo ius esset iniquas corrigendi sententias, atque Areopagitas, ceterosque Iudices coercendi, publica Iudicia omnia

nia

nia per populum ipsum vel directe, vel indirecte expedita fuisse dubitari non potest.


Populus vero Romanus de criminibus, & poenis criminum omnibus iudicandi potestatem iam inde a Romulo Rege acceptam, ut nonnulli opinantur, usque ad Octavianum Augustum habuit, quamquam non iisdem semper comitiis potestate illa usum fuisse legimus. Cum vero Consules initio ultimum supplicium caussa cognita, atque inconsulto populo de reis sumerent, illudque videretur Reipublicae constitutioni adversari, lege Valeria de provocatione lata cautum in posterum, ne Consul de capite Civis Romani iniussu Populi quaereret, sed ii demum quos Populus quaestionibus publicis praefecisset, qui inde *Quaesitores parricidii* sunt adpellati, non multo post Reges exactos instituti, ut docti quique Viri observant.

Quia vero apud Romanos non erant, quemadmodum apud Athenienses, Magistratus ob id tantum constituti, ut in foeminas, earumque vitam inquirerent, non modo tribunal domesticum Romae introductum est, quo Paterfamilias in eos omnes animadvertebat, qui illius potestati subiiciebantur, sed & Viro tributa facultas instituendi Iudicium de moribus uxoris. Quod sub Imperatoribus in desuetudinem

nem abiit, quemadmodum & Iudicia publica omnia, & Censoriae etiam animadversiones, quas necessarias in populari Republica dixerim, cum iis praesertim universi populi, magistratuumque omnium, & Patrumfamilias mores sedulo perquirantur. Silent enim plerumque inter privatas Senatorum, Magistratuumque cupiditates quaelibet scripta iura, publicaeque felicitatis voces; labitur paulatim disciplina, mox desidentes mores sequuntur; denique magis, magisque ire incipiunt praecipites, donec ad ea tempora deveniamus, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus. Ab hoc periculo prohibendae sunt Respublicae omnes, sed populares praesertim, in quas non raro morum pravitatem pereundi, perdendique omnia libidinem invexisse unusquisque intelligit, qui paulisper veterum rerum scriptores percurrat, ac leviter etiam animadvertat, Cives in huiusmodi statu virtute potius, ac publicae utilitatis amore ad turpia quaelibet vitanda excitari, quam imperii vi, & potestate; quam ad hoc quidem non satis validam esse ex eo constat, quod popularis Reipublicae summa in eo posita est, ut Cives vicissim sibi & parere, & imperare videantur. Sint igitur oportet Censorii Viri, iustitia, morumque integritate florentes, qui veluti ex sublimi quadam specula singulos intueantur, quique pa-

parentibus, filiis, magistratibus, populo denique universo quid faciendum, a quo abstinendum, opportune significent, civesque omnes, qui in virtutis itinere labore, aut desidia fatiscentes adparent, vel gloriae cupiditate inflamment, vel severiorum poenarum metu excitent, atque urgeant. Iam vero a Censoribus apud Romanos vitae singulorum civium aut laus impertiebatur, aut inurebatur ignominia, totaque Urbs animadversione illorum emendabatur. Senatorem, cuius turpem vitam deprehendissent, soliti Censores erant Senatu movere; equitem adempto equo publico inter plebeios reiicere; plebeios sublato suffragii iure Tribu submovere; hoc pacto omnium ordinum maculas reiectis turpibus eluebant, ac singuli Cives, quo digni habiti fuerant a Censoribus, statum consequebantur.

Huiusmodi vero Censoriae animadversionis caussam non solum vitae turpitudinem, sed & negligentiam fuisse, certissima monumenta confirmant, eademque fere ratione apud Athenienses se gessisse discimus Areopagitas, atque eos, quos νομοφύλακας, seu legum Custodes adpellabant, quique numero duodecim extiterunt. Et sane eorum erat muneribus, & honoribus indignos spoliare, in hominum facta animadvertere, atque ad



maiorum instituta Cives revocare, ac videre etiam an quis impudicus esset, an patrimonium effunderet, an in aliqua re peccaret; quo quidem Iudicii genere nonnulli in eorum tantum mores, qui publico aliquo officio fungebantur, nonnulli vero in quorumcumque Civium vivendi rationem inquisitum fuisse verosimilius putant, AEschinis auctoritate, & exemplo innixi, qui adversus Timarchum privatum Civem eo nomine Iudicium intendit.

Possem multa alia in medium exempla proferre tum Atheniensium, tum Romanorum, quibus Iudicium institutum fuisse adparet adversus eos, qui ad honestatis leges actiones suas conformare aliquo pacto neglexerant. Sed, ut haec silentio praetermittam, me admonere videntur diversae poenarum formae, quibus adfici plerumque solebat in Iudicio victus, & de quibus pauca differere initio pollicebar.

Profecto ex iisdem caussis, ex quibus tot diversa profluxerunt delicta, ex iisdem fere manasse tantam ubique locorum poenarum varietatem, quanta percurrenti Populorum historias occurrit, bene, recteque animadvertit solertissimus nostrorum temporum Scriptor, Philippus Maria Renatius: Samuel vero Puffendorfius cum aliorum populorum ingenia, & rationes

nes Rerumpublicarum in multis alio abire deprehenderet, *par esse*, aiebat, *poenas quoque diverso modo temperare apud diversas Mundi Gentes*.

Et sane principio cum Romae manu a Regibus omnia gubernarentur, severissimae fuere poenae. Expulsis Regibus, partaque libertate, Decemviri, qui tyrannidem adfectabant, parum soliciti fuerunt de poenis XII. Tabularum auctoritate constitutis, publici regiminis formae adtemperandis. Sed Decemvirali Potestate extincta, & populari regimine Romae introducto, certisque regulis, veluti altissimis fundamentis, innixo, exsulare quodammodo iussae sunt leges fere omnes, quae graviora supplicia indixerant, mitioresque poenae placuerunt, & plerumque tantum vel ignominia, vel infamia, vel simplex aquae, & ignis interdictio, salvis exsuli substantiis. Quod cum innumeris confirmari possit exemplis, & auctoritatibus, instar omnium sit in memoriam vobis revocare id, quod superius innuimus, Censores nempe non alia poena, quam ignominia, socordes Cives ut plurimum affecisse; Lex autem Valeria, qua cautum est, ne Magistratus quid faceret adversus eum, qui ad populum provocasset, nil ultra adiecit contra illius violatores, quam *improbe factum*: id quî tum pudor hominum erat

 visum,


visum, credo, vinculum satis validum legis; cumque ad id fortasse animadverteret Livius, recte inquit, *primum, ultimumque* (Metii Suffetii) *supplicium apud Romanos exempli parum memoris legum humanarum fuisse: in aliis gloriari licet, nulli Gentium mitiores placuisse poenas.*

Neque vero id mirum videbitur, si paululum perpendere libeat in civitate, in qua singuli publicae salutis tutelam aeque gerunt, & in cuius civibus omnibus incoctum generoso pectus honesto leges exigunt, ibi praesertim naturam hominibus pudorem, tamquam flagellum, dedisse, eosque ita comparasse, ut dedecus magis, quam poenam ipsam sentirent, infamiamque veluti poenarum omnium maximam existimarent. Aliter fortasse se res habet in ea Civitate, quae non populi, sed unius voluntate regitur, quemadmodum mox demonstraturi sumus. Illud interim praetermittendum non est Athenienses, apud quos graviores, quam apud Romanos, constitutas fuisse poenas legimus, nihilominus poenarum moderatione floruisse, tum quia severissimae Draconis leges tacito populi consensu in desuetudinem illico abierunt, tum quia, cum bis accusatori, & reo caussa oranda esset, reo liberum relinquebatur post primam postulationem


solum

solum pro lubitu vertere. Quem sane Atheniensium morem Romanos quoque non improbasse ex eo colligi potest, quod *libera Republica*, ut Casaubonus animadvertit, *raro factum, ut Civis Romanus sine privilegio iudicio publico condamnaretur: omnibus enim libera fuit, priusquam sententia pronuntiaretur, abeundi potestas: ita sententiam Iudicis simul, & bonorum iacturam evadebant, quod ius per Principes iam inde a Caesare imminutum penitus tandem est ademptum.* Ex quo inferri potest, licet aliquando Romae adversus reos quid durius sancitum occurrat, id tamen nil prohibere, quin Romanos mitissimas habuisse poenas libere dicamus, cum exsilio sponte suscepto ultimum supplicium, ceterasque acerbiores poenas omnes effugiendi ius reis concederet Lex Portia, & Sempronia, quam usque ad Iulii Caesaris tempora obtinuisse Sigonius observavit.

Si eo modo, quo de populari regimine disserui; per ceteras quoque Reipublicae formas excurrere mens esset, eaque omnia si non explicare, saltem primis labris attingere vellem, quae reliquae Civitates varia Criminum, Iudiciorum, poenarumque genera pro varia regiminis natura, varioque agendi principio postulare videntur, nimium profecto patientia vestra abute-




buterer A. O., nullusque Orationis meae exitus inveniretur. Dum itaque multa hanc ad rem pertinentia, & ex iam dictis de populari Republica satis nota, probeque comperta omitto, in id pro viribus incumbam, ut in tam ubere, ac spatioso dicendi campo peculiaria nonnulla colligantur. Nil vero dicam de Republica, quae paucorum, seu optimatum voluntate regitur, quaeque nulla fortasse fuit apud Athenienses, ac Romanos, de quorum praecipue varia Criminali Iurisprudentia disserere constituimus. Nonne Atheniensis Respublica facto potius, & ob paucorum ambitionem, effrenatamque regnandi libidinem, quam iure pressa leviter ad exiguum tempus, nunquam vero fixa vidit Aristocratici regiminis vestigia? Nonne Romani Senatus auctoritas, quam Polybius ad optimatum regimen refert, & Consulum, quos tanquam Reges fuisse idem Polybius contendit, cum immortali Grotio subdita Populo dicenda est, apud quem tantummodo Maiestas erat? Quid quod naturalis, civilisque Iustitiae magistri societatem eiusmodi propius ad veram felicitatem accedere docent, cum ipsius administratio minus, quoad fieri potest, a populari regimine recedere videtur. Sint itaque leges in huiusmodi Republica, quae moderatos, iustos, atque in-




ter se aequales omnino reddant Viros illos, qui ad Reipublicae gubernacula sedent; sint leges, quae minimum inter Optimates, ac ceteros Cives illorum imperio subiectos discrimen constituant: delicto vertantur, poenisque vindicentur ea omnia. quae Patricios Viros nimia divitiarum copia, inanique luxuria affluentes, populum vero extrema, ac turpi egestate, & inopia laborantem efficere possunt: haec si sapienter provisa sint, omnia recte procedent, nec a felicitate alienam dixeris Rempublicam tali pacto, talibusque legibus gubernatam.

Plura sane dicenda occurunt de Regno illo, quod *monarchicum* adpellant, quodque nos peculiariter tangit, qui eo ita utimur, ut iam prae ceteris tutam beatamque vitam transigere gloriari merito possimus. Ea est regiminis eiusmodi natura, ut unus curet, ac tueatur, quae imperii sunt, ita tamen, ut ex plurimis ordinibus, in quos populum omnem describere oportet, Viri ingenui, seu primores Civitatis eligi debeant, aetate, opibus, consilio, auctoritate ceteris praestantes, qui in id invigilent, ut sarctae tectae serventur leges, quibus angustioribus veluti limitibus circumscriptum imperium uni personae initio translatum est, quique ferant continuo ante Imperato-




riam Maiestatem multitudinis vota, & preces. Cumque Viris huiusmodi, & reliquis omnibus, qui in sublimi positi sunt gradu, maior quidem honor haberi debeat, quam iis, qui humiliori fortuna utuntur, cumque homines suapte natura gloriae studiosi maxime sint, profecto in hac civitate, gloriae, & honoris cupidine ita plerumque se ad agendum excitatos sentient Cives, ut cupido huiusmodi veluti principium dicenda sit eorum omnium, quae Cives aut faciunt, aut cogitant.

Quod quidem non ita dictum velim, quasi sub unius regimine honoris tantum, nunquam vero solidae Virtutis amore correpti Cives ad agendum impelli possint, ac debeant. Multi namque & sunt, & fuerunt & inter Cives unius imperio subiectos, & inter Reges, qui obliti commodorum suorum non modo se, cogitationesque suas publicae Civium felicitati mirifice consecrarunt, in quo potissimum civilis Virtus posita est, verum etiam in omnibus & opinionibus, & factis quid indecore, aut effoeminate nec fecisse, nec cogitasse unquam apertissime demonstrarunt. Quibus ex rebus profecto conflatur, & efficitur id, quod dicimus honestum, quod etiamsi nobilitatum non sit, tamen honestum est, quod etiamsi a nullo laudetur,



detur, tamen laudabile est suapte natura, cuius quidem forma, & facies si oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret Sapientiae.

Verum ut intelligatis non multum interesse Reipublicae, de qua sermonem instituimus, utrum quis solidae Virtutis, vel gloriae potius desiderio motus ea omnia ardua licet, ac difficilia strenuo animo capessenda adgrediatur, sine quibus Respublica ipsa diù, multumque stare non posset, duo animadvertatis velim; ac primo quidem virtutem civilem variam ubique esse pro vario regiminis statu; deinde vero Principes, quorum profecto Maiestate digna vox est, se cum Theodosio, & Valentiniano *legibus alligatos profiteri, maiusque imperio esse submittere legibus principatum*, solutos tamen esse a legibus, sive a poenis, quibus earum violatores leges ipsae adficere iubent. Ex quo sequitur sub unius dominatione publicum bonum obtineri posse etiamsi nec in subditis, nec in Regibus ipsis ea sublimis, & perfecta virtus sit, qua deficiente necessario in praeceps rueret popularis Respublica, cuius cives omnes legibus unanimi ipsorum suffragio conditis aeque subiiciuntur, atque ad honestatis, iustitiaeque leges servandas obligantur non a natura solum, id, quod omnibus commune est, sed




& ab ea, quam ſibi propoſuerunt, regiminis forma.

Quae cum ita ſe habeant, manifeſte patet, Principis eſſe, futuri mali, poenarum ſcilicet metu civile vitium, & crimina coercere, deinde vero ad egregia facinora ſubditos impellere ſpe futuri boni, propoſitis nimirum praemiis, quae inter omnium optimum, nobiliſſimum, publico aerario minus grave, & ad excitandos homines valdiſſimum eſt honoris praerogativa, dummodo haec virtuti civili tantum, non autem opibus, & privatae gratiae tribuatur: tituli namque, inſignia, & id genus alia, ſi non ſint commeritae aeſtimationis in civitate argumenta. paulatim irridentur, mox vileſcunt, ac denique vel nullos, vel turpes tantum, & inutiles Sectatores inveniunt.

Produximus iam, quae monarchici regiminis propria ſunt, nec tamen omnia, ſed ea ſolum, quae propoſitae quaeſtioni ſolvendae adiumento maxime eſſe poſſunt. Ex iis itaque Vos iam plane intelligitis A. O. in huiuſmodi Civitate nil adverſus Principis Maieſtatem, nil adverſus eos, quibus prae ceteris datum eſt proxime ſummo Imperanti accedere vel factis, vel dictis intentari debere; populum quadam etiam externa ſummi Imperantis pompa, & magnifico


adpa-



adparatu excitandum quodammodo eſſe ad illius vene-rationem; eos praeſertim, quos Princeps nobiles de-ſignavit Viros honore eſſe proſequendos; civium inae-qualitatem in huiuſmodi praeſertim ſtatu improbari nullo pacto poſſe; iudicia iuxta legum praeſcriptum a Magiſtratibus inſtituenda eſſe ad id a Principe con-ſtitutis; mulctas, bonorum confiſcationes, & id ge-nus alias poenas adverſus legum violatores apprime eſſe conſentaneas Reipublicae illi, in qua uni com-miſſa eſt omnium felicitatis, & ſecuritatis cuſtodia.

Utinam vero ex tanta annalium, & temporum vetuſtate eruere mihi datum eſſet, quae fuerint ſub Cecrope, Theſeo, aliiſque Regibus Atticae Urbis iu-ra, quae leges, quae iudicia, quae poenae! For-taſſe facile eſſet exemplo Attici Imperii confirmare ea omnia, quae ſuperius indicavimus, quaeque ad mo-narchici regiminis formam accommodata fuiſſe docere videtur Iſocrates, Rhetor Athenienſis, qui in Pana-thenaica Oratione inquit, optimum fuiſſe regnum hu-iuſmodi, eius fere generis, quod Ariſtoteles heroicis temporibus locum habuiſſe contendit.

At dum haec aliis expendenda relinquo, ſileri quidem non patiar, olim, ut ſapienter obſervavit Si-gonius, ad Iudicium maieſtatis pertinere exiſtimatum




esse, *si quis tyrannidis, aut regni occupandi consilia habuisset; si adversus Rempublicam coniurasset; Si hostes ad bellum Reipublicae faciendum concitasset, aut iuvisset; Si Magistratum populi Romani in ordinem coëgisset; Si Sacra imminuisset; Cives Romanos aut carcere, aut morte indicta caussa adfecisset; male sua culpa pugnasset; plebis commodis adversatus esset*; uno verbo facta tantum, eaque maioris momenti, & hostiliter admissa iudicio maiestatis subiecta erant. Eversa deinde post varias temporum conversiones, & rerum vicissitudines populari Republica, a L. Cornelio Sylla primum, deinde ab Iulio Caesare, & ab Octavio Augusto praeter perduellionem novum etiam Maiestatis crimen adinventum, iique omnes reis Maiestatis adscripti sunt, qui vel improbo, petulantique maledicto nomen Principis lacessissent, vel purpura, aut veste holoserica uterentur, vel tempora incusarent, malisque annis se esse natos pronunciarent; ne quid dicam de iis, quos tamquam reos Maiestatis in iudicio postulatos fuisse legimus, vel quod Brutum, & Cassium Romanorum ultimos dixissent, vel proprias statuas altius, quam Caesaris collocassent, vel imagines Principum iam consecratas per aes, & libram vendidissent, vel superstitione ducti morborum remedia collo adnexa ge-

gestassent, vel Domitiani gladiatores venerati non essent; quae quidem non ex natura regiminis, sed ex arbitrio Imperatorum manarunt, qui cum sibi maiestatem plus aequo vindicare voluerint, maiestate ipsa penitus caruisse cum Plinio dicendi sunt. Imperator denique Theodosius, cum apprime nosceret quae boni Principis propria sunt, maiestatemque esse quidem tuendam ab aliorum iniuriis existimaret, quin tamen in saevitiam labamur, quod ad maledicta adversus Principem spectat, provido consilio iussit haec integris omnibus ad Principem referri, qui, si convicium ex levitate procedat, contemnere, si ex insania, miseratione dignissimum putare, si ab iniuria, & mente mala, plerumque remittere debet; neque enim, ut praeclare inquit Titus Imperator apud Dionem, bonus Princeps iniuria adfici potest, nec *lubricum linguae*, teste Modestino, *ad poenam facile trahendum est*.

At in Civitate, in qua Cives spe gloriae, & honoris ad agendum plerumque moventur, non Principem solum, sed & illius Administros, & Magistratus, immo eos omnes veneratione, & obsequio prosequendos esse diximus, qui illaeso dignitatis statu fruuntur, & natalium splendore, aut alia de caussa

qua-



quacumque florent. Quapropter merito Valentinianus, & Valens Imperatores ultimo supplicio puniri eum voluerunt, qui historiam, carmen, aut libellum famosum non dicam composuerit, aut evulgaverit, sed inventum illico non corruperit, vel etiam exusserit; quod Romae secus erat popularis Reipublicae temporibus, quibus huiusce criminis rei mitiori, & aliquando etiam nulla poena afficiebantur: cum enim ad singulos cives Reipublicae administratio pertineret, unusquisque poterat, quae de publico bono sentiret, quaeque ad aliorum insolentiam coercendam accommodata putaret, aperte loqui.

De actibus illis, qui sub unius imperio praesertim inter civilia delicta recenseri debent, brevius fortasse diximus, sed ad id, quod agimus, haec non aliter dicenda videntur; sequuntur ea, quae spectant ad iudicia. Profecto licet nostro Principi, ut aiebat Symmachus, sit divini fontis ingenium, sit virtutum omnium prompta natura, solus tamen cuncta administrare is non potest, & aliorum operam sibi sociam adiungat necesse est. Viris itaque ingenii laude, atque animi integritate conspicuis publica munera, & iudicia praesertim instituendi potestatem Princeps committit, ut rite declarari possit, an factum, de quo suborta est contro-


ver-

versa, contineatur in legibus ipsis, quas Princeps pro communi omnium bono proposuit, quaeque veluti universales agendi regulae habendae sunt.

Neque sane erit pertimescendum huiusmodi Iudices verba legis durius, & asperius, quam eadem ferant, esse interpretaturos, nobisque inlaturos iniustas, gravioresque poenas. Alia namque Regis, alia Iudicis laus, & virtus est; huic sequendae leges, illi interdum etiam corrigendae; ac Princeps inferiores Magistratus constituens non Legumlatores, sed ipsarum vindices, ac custodes efficit, iisque de crimine tantum cognoscendi, legesque ad factum adplicandi munus demandat, cum satius ducat crimen aliquod impunitum in civitate esse, quam ut libertas civilis, qua nil praestabilius, in perpetua versetur periclitatione, & discrimine, & ab aliorum pendeat arbitrio.

Quid tamen si nobiles Viri aut divitiarum copia intumescentes, aut inani quadam Magistratus, & honoris specie excoecati in aliqua re peccent? Raro quidem adversus eos ad exquisitissima supplicia deveniendum, saepe vero ab iis, vel mulcta exigenda, vel infamiae nota iisdem inurenda. Verbera namque, carcer, vincula, fustes, cruciatus, mors iis potius

re-



reſervanda, qui vili loco, & genere nati vix, ac ne vix quidem honoris ſtimulos plerumque ſentiunt, quibuſque non famae pudor, ſed ſupplicii tantum timor eſt: Nobilibus autem Viris, quos leges natalium dignitate, & divitiarum, honorumque copia illuſtres volunt, quoſque veluti ad gloriam natos ceteri omnes venerari ſolent, mulcta quidem, utpote levis poena, pro levibus criminibus, infamia vero tamquam poenarum omnium maxima pro atrociori tantum ſcelere irroganda.

Et ſane haud nude tantum, ſed habita ratione perſonarum, quae in civitate uni Principi ſubiecta inaequales inter ſe omnino ſunt, poenae magnitudinem ſpectandam eſſe monuit immortalis Grotius, qui tamen ſuis principiis fortaſſe minus conſtans inter Romani Iuris naevos id poſuit, quod nobiliores Viri infamia tantum adfecti fuerint; cum interim reliqui Cives ob eadem crimina vel ad opus publicum damnati, vel fuſtibus caeſi eſſent.

Fatendum tamen eſt ſanctiones fere omnes, quibus generaliter certam aliquam nummariam poenam minitatur Princeps facinoroſis, pauperioribus quidem oneri, ditioribus ludibrio, ut plurimum eſſe, cum quis inveniri poſſit Neratio illi non abſimilis, homini

egre-

egregie improbo, qui cum in deliciis haberet os ingenui cuiusque manus suae palma verberare, servum secum abducebat, qui crumenam plenam assium ferret, & quemcumque depalmaverat mulctam XII. Tabb. legibus praescriptam, viginti scilicet, & quinque asses numerari statim iubebat. Quapropter non abs re erit nummariis poenis in ferendis legibus extraordinarias coercitiones adiicere, ut quemadmodum pecuniariam animadversionem egestate eludentes extra ordinem puniuntur, ita etiam, qui opum fiducia id faciunt, extraordinaria aliqua poena coerceantur.

Huiusmodi autem pecuniarias poenas, mulctas, bonorum confiscationes & id genus alia propria praesertim esse civitatis, quae ab unius voluntate pendet, & monarchici Regiminis natura, & Romanorum exemplum invictissime suadent. Cum ea sit summi, & absoluti Imperii conditio, ut in administranda Republica maiores omnino fieri debeant impensae, quam in populari statu, optimi sane Principis erit impensis huiusmodi subvenire non modo vectigalium impositione, sed pecuniariis etiam propositis poenis adversus scelestos homines, & aliquando etiam bonorum publicatione, qua insuper morienti maximus terror additur, quod filii superstites, qui plerumque ad libe-



ra Patris bona nullum perfectum ius habent, ad egestatem redigantur, ut ceteri & mortis timore, & paternae pietatis sensu ab atrocioribus criminibus deterreantur.

Libera autem Republica nullas bonorum publicationes Romae legibus sancitas fuisse, salvisque nummis, & substantiis exsulasse tantummodo, quibus aqua, & igni interdictum erat, docti quique Viri existimarunt, Svetonii auctoritate innixi, qui ait, *Caesar poenas facinorum auxit, & cum locupletes eo facilius scelere se obligarent, quod integris patrimoniis exsulabant, parricidas bonis omnibus, reliquos dimidia parte mulctavit*. Haec autem Caesaris lex cum sanctissime deinde non observaretur, eo deventum est, ut poenam capitalem semper sequeretur bonorum publicatio, quod tamen cum durum, vel saltem nimis generale Iustiniano videretur, novissima lege ius istiusmodi certis quibusdam limitibus definivit.

Quamquam vero huius generis poenae possunt quandoque legibus prudenter praescribi, & opportune irrogari, improbandus tamen earum frequentior usus adversus quaelibet delicta, quo vitio vel maxime laborasse inferius demonstrabimus leges illarum Gentium, quarum vi, & armis ad nihilum fere redacta est

an-

antiqua Romanorum potestas. Nobis interim gloriari licet, quod ea tempestate vivere datum sit, qua, ut olim de Traiano loquens ait Plinius, *praecipua Principum gloria est, ut saepius vincatur fiscus, cuius mala caussa nunquam est, nisi sub bono Principe.*

Quare non est, cur quisquam existimet iis, quae de criminibus, & poenis monarchici Regiminis naturae accommodatis, diximus, regimen huiusmodi deterius quodammodo reliquis omnibus declarari. Cum enim hactenus exposita referantur quidem ad summum Imperium, quod unus Princeps obtinet in Regnis, quae *legitima* adpellantur, non vero ad illud, quod tyrannorum est proprium, in quod veluti ab humana natura, & a recta ratione abhorens neminem consensisse praesumendum est, metum sane omnem depono, nec tacitas aliorum cogitationes reformido. Videte, quam non reformidem! Videte quanta lux veritatis, & rationis, mihi apud vos de hac re dicenti oboriatur? Quantum potero voce contendam, ut hoc quisque exaudiat, omnium sane beatissimam esse Civitatem, in qua ad unum omnia delata sunt.

Nonne illius salutis, ac felicitatis solus Princeps tutelam gerit? Si quando igitur fiat, ut in criminibus ac poenis definiendis nonnihil peccatum sit, facile id cor-

corrigi, emendarique potest, cum satis sit mutare consilium, novasque leges constituere, quod secus ac in populari Republica, unius tantummodo voluntatis est actus, qui exequutioni illico mandari potest. Publicae vero accusationes, quae in democratico regimine necessariae omnino sunt, a nostra civitate penitus quodammodo exsulant; cumque accusandi munus vel ad eos tantum, quorum interest, vel quibus publica potestate id iniunctum est, spectare debeat, metuendum non erit, ne privato quis odio motus calumniis, aut falsis accusationibus molestiam nobis parere adgrediatur.

Nonne sub unius dominatu civium arbitrio relinquitur inire cum exsteris Gentibus connubia? Nonne in huiusmodi civitate peregrinis aditus a legibus non prohibetur? Sperandum itaque est, ut illud in dies renovatum laeti intueamur, quod Romae sub Antonino Caracalla, a quo veteribus legibus abrogatis permissa fuere inter Romanos, aliasque Gentes omnes connubia, evenisse cecinit Prudentius his versibus.

*Distantes regione plagae, divisaque ponto*
*Littora conveniunt, nunc per commercia, & artes*
*Ad caetum celebrem, nunc per genialia fulcra*
*Exsterni ad ius connubii; nam sanguine mixto*
*Texitur alterius ex gentibus una propago.*

Spe-

Sperandum quoque, ut qui alibi sunt ingenii laude, & doctrina praestantissimi Viri, si minus sorte sua contenti vivant, ii in civitatem huiusmodi, tamquam in portum confugiant, inque eam adferant egregias artes, cultioresque disciplinas, quemadmodum has a Graecia extorres trepido cursu in Italiam, & in Etruriam praesertim olim commigrasse, & amico, ac benevolo hospitio receptas fuisse accepimus.

Nonne in huiusmodi Republica praesertim inter Cives inaequalitas permissa videtur? Nullae itaque, vel sane mitiores in ea sunt leges, quae ad luxum coercendum referantur, legibusque huiusmodi aut penitus sublatis, aut intra angustissimos limites circumscriptis unusquisque intelligit facilius tunc afflorescere industriam, commercium, & alia eiusmodi, quibus nobis comparamus ea, quibus ab aliis praecipue distinguimur, atque uno, eodemque tempore iucundiori, beatiorique vitae consulimus. Cumque Viri natalium gloria, & bonorum copia illustres, ne qua utuntur sorte, & honoris fastigio indigni habeantur, exsternum quoddam decus servare quodammodo sese obligatos sentiant, ceteros omnes in humiliori positos fortuna in opificiis, artificiis, & id genus aliis ita exercent, ut hoc pacto plebs

quo-

quoque necessaria ad victum, & cultum sibi quaerere facile possit.

Quid plura? Poenarum mitigatio, abolitio, gratia, quibus humana natura in dies egere videtur, quibusque aliquando publico bono consulitur, nonnisi sub uno Principe, qui solus civilibus legibus solutus est, sperari possunt. Nec poenarum formidine tantum, sed & praemiorum spe in hac potissimum societate a vitiis revocantur cives, & ad egregia facinora excitantur, efficiunturque promptiores: quae quidem omnia una cum morum suavitate, iucunditate, urbanitate, aliisque, quae solida etiam virtus refugere non videtur, adeo propria sunt Civitatis eiusmodi, ut vel foeminae mitiori quidem indole praeditae, minusque apta ad hominum caedes, & cruciatus vel iubendos, vel intactis oculis adspiciendos, non sine tamen maxima Virtutum omnium, sed humanitatis praesertim, & clementiae laude monarchicum regimen suscipere potuerint: quales profecto foeminas plures omnino vidit tum praesens, tum nostrorum maiorum aetas; omnes vero longissime iam superavit Potentissima MARIA THERESIA, cum saeculi, tum sexus sui prodigium.

Quamvis vero diversa criminum, poenarumque genera

nera ad variam regiminis naturam, eiusque principium accomodata sint, ut ostendere hactenus curavimus, inficiari tamen non possumus ipsas praeiudicatas vulgi opiniones, quae plures apud populos vigent, diversis delictis, diversisque poenis, ac solemnibus iudiciorum formis originem praebuisse. Quo quidem ut initio occupavimus, referendae prae ceteris sunt ignorantia, & superstitio, quae duo illarum praecipue Gentium leges infecerunt, sub quarum dominatu Romano Imperio deleto, & antiquis Romanis moribus proscriptis diutius Italia nostra ingemuit, universaque fere Europa in innumeras fere Provincias divisa fuit.

Ut igitur illius temporis calamitatem recordari possitis, audite quaeso, quae tunc fuerit nostrae Iurisprudentiae facies, ignorantiae, & superstitionis tenebris miserrime implicata, vestramque memoriam ad veterum rerum, & morum cogitationem excitate. Tanta, immanique barbarie obruebatur Italia, ut bonarum artium, disciplinarumque omnium, ac vel ipsas pingendi literas ignorantia ii etiam detinerentur, qui gravissima in Republica munera obibant. Tantus omnium mentes superstitionis furor invaserat, ut eo insaniae devenirent homines, ut ad miracula patranda Deum pro lubitu tentarent, existimarentque Deum verita-

ritatem probaturum per res, ut ait Agobardus, veritati contrarias.

Quid mirum igitur si tot ea tempestate vigerent ineptae consuetudines, si singulari certamine quaestiones definirentur, si ad expiandas adcusationes sacris antea solemniter peractis vel quis manus iniiceret in ferventem aquam, vel corpus mergeret in frigidam, vel candentes laminas nuda manu gestaret, vel super ignitos vomeres nudis pariter pedibus vestigia premeret; si denique divinis, humanisque legibus eversis, desertoque Iudiciorum ordine omnia temere, ac superstitiose expedirentur? Inter Religiosos Viros, & Sacerdotes, ac vel inter Reginas ipsas non defuere, quae quasdam purgationis species publice obire non dubitarent: quin Romanos Pontifices nonnullarum probationum Auctores ignarum vulgus iactabat. Quo non irent populi praeeuntibus Sacerdotibus, ac Principibus?

Legibus tamen huiusmodi a recta ratione omnino alienis, quibus ortum dedere ignorantia, & superstitio, me non latet remedium aliquod praebere tentasse, qui sequentibus temporibus apud barbaras Gentes summam rerum obtinuerunt. Quia tamen Gentes eiusmodi pluribus, iisque minus potentibus Regibus parere coactae sunt, iis nimirum qui de partis bel-

lo

lo terris, ac provinciis potiſſimam partem victores ſibi tanquam iure mancipii vindicabant: uno verbo, quia inter eas quaedam publici regiminis ſpecies invaluit, quae *feudalis* dicitur, quaeque cum nullius populi naturae, & moribus accommodetur, infinitis ſubiecta incommodis exiſtimanda eſt, ut de hac re ſermonem inſtituens aperte demonſtravit immortalis Monteſquius, factum proinde eſt, ut aeedem in Scyllam inciderent, cum cuperent vitare Charybdim, turpiſſimaque delicta omnia auro, & argento purgari coepta ſunt, ut hoc pacto parvi iſti Reges tanto facilius Imperatori tributa ſolverent, aerarium locupletarent, ſibique maiores, quas poterant opes, pararent.


Et ſane quemadmodum optima eſt Criminalis Iuriprudentia quum bene iam conſtitutae publici regiminis formae, eiuſque naturae, & principio penitus reſpondet, ita perniciosa quidem, vel ſaltem minus recta dicenda, cum regimen ipſum a civium indole, eorumque ingenio, & moribus abhorrere videtur.

Deo tandem viſum eſt poſt varias diſciplinarum omnium, omniumque artium viciſſitudines hominum mentes ad pulcherrimam veritatis lucem revocare, ac ſuperſtitionis ritibus, tamquam anilibus fabulis, vel inſipientium quorumdam deliramentis ablegatis, ignoran-

tiaeque tenebris discussis, quibus universa Europa miserrime obvolvebatur, beatissima hac nostra aetate cum gaudio intueri licet veritatem ipsam, ipsamque Iustitiam super explosarum opinionum, & scelerum ruinas magnifice considentem. Nostra Iurisprudentia tandem aliquando firmissima subsidia, ac solida fundamenta invenit. Nunc Philosophia, & Iuris naturae, & Gentium scientia illi quasi duces, ac Magistrae praeire glorjantur, ac donec Principes earum voces auscultare non poenitebit, non lababunt, nihil offendent, atque in definiendis criminibus, & poenis ab Iustitiae, communisque omnium felicitatis, & securitatis regulis non aberrabunt. Nunc Iudices legem interrogant, & ubi lex silet, vel reum absolutum dimittunt, vel ad Principum Maiestatem referunt. Nunc scriptis legibus constanter proponitur, ut emendetur potius, quam puniatur, quod in hominibus nocens est, & criminosum, pluresque iam gratulabundi suspicimus, & admiramur inter Principes, quorum *salubre propositum*, ut in cuiusdam suae legis exordio praeclare inquit Fredericus Imperator, *non tam circa punienda maleficia commissa versatur, quam ut in committendis iisdem via, & materia praecludatur.*

O si vitalem sensum tui, Frederice, cineres reciperent, quantam animo voluptatem perciperes, quod tua

haec




haec veluti praecepta non ſine maximo Reipublicae bono apud nos in uſum mirifice deducta videres ? Inſubria Inſubria praeſertim ſatis novit, quam divino prorſus REGIAE PRINCIPIS ingenio, illiusque benefica manu omnium fuerit bono, & ſecuritati conſultum. Non modo Philoſophia, quae ſtrepitum aularum & ſuperba civium potentiorum limina vitare ſolebat, nunc ad Tantae REGINAE ſolium audet accedere. Non modo plures inter nobiliſſimos Inſubriae cives, & ſunt, & fuerunt, qui ſub tam clementi, humanoque Imperio libere pronunciare, publiciſque literis mandare non dubitarunt, quae de delictis ac poenis, vel de probationibus, poenarumque modo, & menſura, & id genus aliis egregie ſentirent. Praemia utilibus inventis parata, artium omnium Parens agricultura ab humo, & ſqualore excitata, providae leges in illius, aliarumque artium gratiam conditae, haec vitiis ac delictis iter praecludunt, haec MARIAE THERESIAE Piae, Felicis, Auguſtae, meritas praedicant laudes; haec FERDINANDI Regii Principis, tante Matris Filii, ſupremique totius Inſubriae Moderatoris pro publico bono ſtudium commendant; haec FIRMIANI COMITIS, Viri immortalis ad grandia nati, aliorumque Adminiſtrorum in conſiliis opportune capiendis ſagacitatem, & in difficillimis

 expe-

expediendis rebus dexteritatem, ubique ſatis apud omnes Gentes celebrant, & oratione indigere non videntur. Vos interim, PATRES SAPIENTISSIMI, quorum me florentiſſima corona ſeptum non ſine grata trepidatione contueor, Tuque MAGNIFICE RECTOR, qui ingenio, morum integritate, ſtudiiſque humanitatis omnibus dignum eo, quo fungeris munere, Te praeſtitiſti, quem profecto mihi ſenſum eſſe putatis, cogitanti quem in caetum ſim cooptatus? Anteceſſor celeberrimus, in cuius locum ſuccedere non dicam mihi, ſed optimo cuique arduum ſane eſſet, ac difficile, ſplendidiſſimi huius loci dignitas veſtro fulgore illuſtrati, obſcurae denique imbecillitatis meae ſenſus animum adeo perturbant, ut ne quam caetui veſtro labem inuram, magna mihi ope ſit adnitendum. Fovete itaque praeſidio veſtro, addite titubanti animos, iuvate conſiliis, amplectimini benevolentia. Voſque, lectiſſimi Adoleſcentes, totius Inſubriae ſpes, ad illam excolendam ſcientiam properate, qua miſeris opitulari, ceterorum vero bona, decus, ac vitam incolumem ſervare poteſtis, cum praeſertim in hoc Muſarum domicilio Vobis praeſto ſint Viri doctiſſimi, bonarum artium omnium, omniumque diſciplinarum peritiſſimi, qui Vos humanitate incomparabili ad Sapientum templa quaſi manu ducunt. Ad tantorum

Vi-



Virorum veſtigia legenda ſtimulos vobis addunt Maiores veſtri, ad quos oculos, cogitationemque convertite. Suſpicite Baldum, Iaſonem, Fulgoſium, Curtios, Decios, Butigellas, & Cl. Andream Alciatum, qui genus humanum ingenio quodammodo ſuperavit, quique vetera ornamenta, nativumque decorem Iuriſprudentiae reſtituit. Videte Bellonos, Merendam, Menochium, cumpluresque alios, quorum nomina veluti immortalitati conſecrata Populi omnes venerantur. Sed quid vetera commemoro? Poſtquam inter divina tot Auguſtae Providentiae miracula hoc etiam reſtituti Regii Caeſarei Ticinenſis Athenaei monumentum recenſetur, Vobis profecto ante oculos ſunt magni nominis Philoſophi, optimi legum Interpretes, rerum omnium divinarum, humanarumque peritiſſimi Viri, Praeceptores Veſtri, a quorum laudibus celebrandis ſingulari ipſorum modeſtia impedior.

*MDCCLXXVI. Die 3. Martii*

*IMPRIMATUR.*

*DE FELBER Reg. Duc. Mediolani Senator, & Papiae Praetor pro Magiſtratu rei Litterariae procurandae.*


I. C. Gandini Cancell., & Reg. Act.

maiorum instituta Cives revocare, ac videre etiam
an quis impudicus esset, an patrimonium effunderet,
an in aliqua re peccare
nonnulli in eorum tantu
quo officio fungebantur
cumque Civium vivendi
rosimilius putant, AEsc
innixi, qui adversus Ti
nomine Iudicium intendi

Possem multa alia
tum Atheniensium, tum
um institutum fuisse adpar
nestatis leges actiones sua
neglexerant. Sed, ut haec
admonere videntur divers
adfici plerumque soleba
quibus pauca differere

Profecto ex iisdem
sa profluxerunt delicta,
tam ubique locorum
percurrenti Populorum
que animadvertit solen
Scriptor, Philippus Mari
sendorfius cum aliorum populorum ingenia,











nes Rerumpublicarum in multis alio abire deprehen-
deret, *par esse*, aiebat, *poenas quoque diverso modo*
*ntes*;
manu a Regibus
fuere poenae. Ex-
, Decemviri, qui
solliciti fuerunt de
constitutis, publici
d Decemvirali Po-
ine Romae intro-
ltissimis fundamen-
iussae sunt leges
ia indixerant, mi-
plerumque tantum
simplex aquae, &
antiis. Quod cum
, & auctoritatibus,
obis revocare id,
npe non alia poena,
plurimum affecisse;
st, ne Magistratus
d populum provo-
s violatores, quam
udor hominum erat